


EPISTULA LEONINA

CCI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CC** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM PRIMAM (201) !

ARGUMENTA

1. NIHIL SOLIDUM NISI SOLUM..... 03
2. CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA..... 04-06
3. PETITIO CLIMATICA CONTRA TORRENTEM SCRIPTA..... 07-15
4. BRUFFONCELLA QUALIS MULIER SIT (*Ciarrocchi, Cristini*)...16-20
5. DE ETYMO NOMINIS GENTILICIO Q.E. RACKETE.....20
6. DE HYPNOTISMO (*Urbanus Ferrarius*)..... 21-23
7. QUALIS DISCIPULUS SIT ABSENTATOR..... 24
8. DE ABROGATIONE RELEGATIONIS OVIDII (*David Gowin*).... 25
9. FABELLA GRIMMIANA: *Die drei Vügelkens*. 26-31

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tandem tibi offero Epistulam Leoninam ducentesimam primam (201). Post Epistulam Ducentesimam pausam interposui longiusculam, quae effecta erat laboribus scholaribus universitariisque necnon Orbe Picto Hexaglotto componendo. Rogo te, ut excuses et hanc et alteram pausam, quam nunc sequetur: Die enim Lunae iter facturus sum in Coream, ubi versabor per tres ferâ septimanas a laboribus computatralibus maximam partem abstinens.

Postea autem – hoc sit tibi persuasum – operam dabo, ut pergam Leoninas Epistulas in lucem êdere septimanatim.

Tu interim, sive argumenta tibi placent sive displicent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum.

Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege frueri!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Iovis, 01. m. Augusti, a. 2019**



NIHIL SOLIDUM NISI SOLVM

KASPAR JODOK VON STOCKALPER

(1609-1691)

Helvetius negotiator et vir politicus

Haec inscriptio invenitur in Castello Stockalperiano,
quod situm est *Brigae* in oppido Helvetico.

Nihil solidum nisi solum - Nichts ist beständig ausser Grund und Boden.

**CHRONOGRAMMATA
IN EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM**

TIBI

CARE LEO LATINE LIBER SCRIPTOR

PRO MIRIS EPISTOLIS DVCENTIS

GRATIAS HABET

IOANNES HISTRIO

CARE LEO LATINE

DVCENTIS EPISTOLIS

NOS ERVDISTI & DELECTASTI

GRATES TIBI

Haec chronogrammata confecit Hannes Demming.

VIRI FORTES
SEPTVAGINTA QVINQVE ANNIS ANTE
CAPVT DRACONIS ATROCIS
ELIDERE ET EXSTINGVERE
FRVSTRA CONATI
REVERENTIA ET GRATIA NOSTRA
DIGNI SVNT

REVERENTIA ET GRATIA ILLIS VIRIS
PIIS QVI ANTE SEPTVAGINTA QVINQVE
ANNOS PATRIAM TYRANNIDE
TERRIBILI ATROCI LIBERARE &
EXSOLVERE CONATI SVNT

Haec chronogrammata confecit Hannes Demming.

OSKAR **MARIA** GRAF

INSIGNIS LYRICVS SCRIPTOR AVCTORQVE BAVARICVS

HODIE

ANTE **QVINQVIES VIGINTI QVINQVE** ANNOS

NATVS

H.D.F.

Aufmacher der heutigen olympischen Kronenzeitung

QVINQVAGINTA ANNIS ANTE

NOSTRA **PVLCHRA CYNTHIA**

VIRGINEA IOVIS ET LATONAE FILIA

A **DVOBVS ASTRONAVTIS AMERICANIS**

EX INOPINATO STVPRATA

PETITIO

QUOAD CALEFACTIONEM GLOBI TERRESTRIS ANTHROPOGENAM CONTRA TORRENTEM FACTA



Anno 1517, professor theologiae 33 annos natus Universitatis Vittenbergensis iit ad ecclesiam castelli Vittenbergensis et portae clavîs affixit chartam, cui inscriptae erant 95 theses, sperans excitatum iri disputationem academicam de illarum argumentis faciendam. Similis res hodie fit in Italiâ, quantum pertinet ad climatologiam, quae consideretur quasi sit dogma.

cfr http://www.opinione.it/cultura/2019/06/19/redazione_riscaldamento-globale-antropico-clima-inquinamento-uberto-crescenti-antonino-zichichi/

Clima, una petizione controcorrente. di Redazione19 giugno 2019

In Latinum convertit Leo Latinus

Praesidenti Rei Publicae

Praesidenti Senatûs

Praesidenti Camerae Legatorum

Praesidenti Consilii

PETITIO

QUOAD CALEFACTIONEM GLOBI TERRESTRIS ANTHROPOGENAM

CONTRA TORRENTEM FACTA

Infrascripti, qui sunt cives atque scientistae, flagranter flagitant, ut homines politici responsables talem rationem circumiecta tutandi politicam exsequantur, qualis respondet cognoscentiis scientificis recentissimis.

Praecipue maxime necessarium est circumiectorum pollutionem ibi impugnare, ubi oritur, idque secundum cognitiones scientiarum modernissimas. Hac in cohaerentia dolendum est, quod thesaurus investigationis scientificae ad deminuenda nocimenta anthropogena, quae passim inveniuntur et in marinis oecosystematibus et in continentalibus, non adhibetur nisi quadam cum retardatione.

At oportet cognitum habeamus ipsum carboneum dioxydatum non esse substantiam nocivam, immo, esse ad vitam in planetâ nostro agendam prorsus necessarium.

His proximis decenniis praeteritis thesis diffundebatur, quâ calefactio superficiei terrestri 0,9 gradibus facta et ex anno 1850 observata contenditur esse abnormis neque effecta esse nisi actionibus hominum, praesertim carboneo dioxydato, quod fomitibus fossilibus adhibitis in atmosphaeram esset emissum. Haec est thesis globalis calefactionis anthropogena ab Unitarum Nationum Concilio Mutationis climaticae intergubernamentali (IPCC, i.e. *Intergovernmental Panel on Climate Change*) propagata, secundum quam effectus carbonei dioxydati emissi circumiecta tam vehementer affligantur, ut tempore imminente timenda sint detrimenta ingentia, nisi statim rationes deminuendi ineantur graves et sumptuosae. Hac in cohaerentiâ multae nationes mundi programmatibus emissiones carbonei dioxydati deminuendi se addixerunt et ingenti commendatione propagandâ urgentur, ut sequantur programmata etiam etiamque sumptuosiora, quae singulis oeconomis nationalibus oneri sunt gravissimo et quibus non ad effectum adductis clima dicitur non posse custodiri ideoque planetam non *servari*.

At origo calefactionis globalis anthropogena nihil est nisi hypothesis non demonstrata, quae non derivatur nisi ex nonnullis simulacris climaticis, i.e. programmatibus computatri intricatis, quae appellantur *General Circulation Models*.

Ex alterâ parte in relationibus investigationis scientificae etiam etiamque verbis effertur quaedam **variabilitas climatis naturalis, quam non possunt imitari simulacrorum confectores**. Hac variabilitate naturali explicatur magna pars calefactionis globalis ex anno 1850 observatae. Inde **cum superlacione iniustê exaggeratâ dictum est hominem effecisse mutationem climaticam saeculo proximo praeterito observatam necnon praedictiones calamitatis terribilis a veritate discrepant**.

Cum clima sit systema in nostro planetâ intricatissimum, oportet idem investigandum adaequari methodis, quae sunt satis aptae atque ad gradum inicationis accommodatae. **Simulacris autem, quibus climatologi clima simulare student, iidem non imitantur naturalem variabilitatem climatis observatam, immo non restituunt tempora calida, quae fuerunt his decem milibus annorum proximis**. Quae tempora repetuntur millesimo quoque anno

et complectuntur nôtam periodum calidam mediaevalem et periodum Romanorum calidam necnon generaliter periodos calidas inter *optimum holocaeni* factas.

Hae periodi temporis transacti etiam calidiores fuerunt quam periodus quae nunc est, quamvis tum concentratio carbonei dioxydati minor fuerit quam praesens, cum cohaereant cum cyclis activitatis solaris millennariis. Hi effectûs simulacris non redduntur.

Lector meminerit calefactionem, quae ab anno 1900 usque ad tempus hodiernum observata est, reverâ incohatam esse anno 1700, i.e. infimo in puncto aetatis glacialis minoris, quae fuit periodus gelidissima decem milium annorum proximorum (congruens cum puncto activitatis solaris infimo, quod astrophysici appellant *Minimum Solare Maunderianum*). Ex illo tempore sol cyclum activitatis suae millennarium sequens exauctus calefecit superficiem terrae.

Praeterea simulacris non possunt simulari nôtae illae climatis oscillationes sexaginta annorum. Iisdem autem exempli gratiâ effectum est spatium temporis calidum (1850-1880), quod secutum est spatium frigidum (1880-1910), spatium calidum (1910-40), alterum spatium frigidum (1940-70) et spatium novum calidum (1970-2000), quod similiter factum est ac sexaginta annis ante. Annis sequentibus (2000-2019) temperaturae naturales non – ut exspectatum erat ex temperaturis simulacrorum computatis – exauctae sunt 0,2 gradibus Celsianis in decennio, sed clima magnam partem remansit stabile, nisi interdum tantum mutatum est Oceani Pacifici aequatorialis oscillationibus propriis, quibus *El Nino Southern Oscillations* appellatis inter spatium annorum 2015 et 2016 globus aliquamdiu est calefactum.

Diurnarii etiam dicunt eventûs extremos, velut furacanos et cyclonas, exauctos esse cum vehementiâ tumultuosâ. At tales eventûs, ut multa systemata climatis, efficiuntur cyclo sexaginta annorum supra memorato. Exempli gratiâ nobis considerantibus numeros officiales ad tropicas turbines atlanticas spectantes, quibus America borealis ex anno 1880 vexata est, hae turbines apparent spatio sexaginta annorum magnâ cum oscillatione, quae habet correlationem ad Oceani Atlantici

oscillationem thermicam, quae appellatur atlantica oscillatio temperaturae multidecadalis (*Atlantic Multidecadal Oscillation*). Mucrones curvarum, quae singulis decenniis observantur, annorum spatiis 1880-90 et 1940-50 et 1995-2005 inter se sunt compatibles. Ab anno 2005 usque ad annum 2015 numerus cyclonum secundum cyclum supra memoratum deminutus est. **Ergo spatio annorum 1880-2015 nullo modo inter se cohaerent numerus cyclonum (quae variatur) et carboneum dioxydatum (quod augetur monotonicè).**

Systema climatis nondum est satis intellectum. Quamvis carboneum dioxadatum sit gasum thermocepicum, ipso Concilio Climatico Mundano (IPCC) censente adhuc perquam incertum est, quatenus carboneo dioxydato exaucto clima mutetur. Aestimatur concentratione atmosphaerici carbonei dioxydati duplicatâ, i.e. a portione praeindustriali trecentarum ferê partium per milionem (*ppm*) usque ad sescentarum portionem exauctâ fieri posse, ut temperatura planetae media augeatur minimum uno gradu Celsiano, maximum quinque gradibus.

Haec incertitudo est enormis. At multis disquisitionibus recentioribus, quae nixae sunt datis experimentalibus, aestimatur sensitivitas carbonei dioxydati climatica insigniter minor esse quam illa, quae computatur simulacris Concilii Climatis Mundani adhibitis.

Itaque secundum rationem scientificam non est consentaneum, ut contendatur calefactionem a saeculo proximo praeterito usque ad tempus praesens observatam effectam esse ab homine. Itaque non dignae sunt quae credantur latê patentes praedictiones tumultuosae, quia nixae sunt simulacris, quorum resultata discrepant a datis experimentalibus. Ex omnibus resultatis consequitur usu horum simulacrorum nimis magni aestimari vim calefactionis ab homine effectae, parum aestimari vim naturalis variabilitatis climaticae, praesertim eiusdem vim sole, lunâ, temperaturae marinae oscillationibus effectam.

Denique diurnarii enuntiant quoad mutationis climaticae causam, quae nunc fiat, humanam ferê omnes scientistas inter se consentire, i.e. disputationem scientificam iam esse finitam. Primo autem oportet cognoscamus **rationem scientificam postulare, ne hypothesis**

quaedam fiat theoria scientifica communiter comprobata numero asseclarum, sed *rebus verê factis atque inventis*.

Reverâ autem scientistarum opinio communis non exstat. Profecto valdê inter se discrepant opiniones hominum doctorum, qui sunt climatologi, meteorologi, geophysici, astrophysici -, quorum multi cognoscunt ab ipsâ naturâ multas res contributas esse, quibus globus calefieret, quae observentur ex aetate praeindustriali usque ad tempus hodiernum. Factae sunt petitiones, quibus subscripserunt aliquot milia scientistarum, qui opinioni calefactionis globalis anthropogenaе contradixerunt. Inter eas fuit petitio physici *F. Seitz*, praesidis quondam Americanae Academiae Scientiarum Nationalis, anno 2007 facta, et petitio ipsius *Non-governmental International Panel on Climate Change (NIPCC)*, in cuius relatione anno 2009 scriptâ concluditur *clima dirigi naturâ, non activitate humanâ*.

Denique, cum videamus fomites fossiles vehementer valere ad energiam hominibus suppeditandam, commendamus, nê sequamur rationem politicam carboneum dioxydatum in atmosphaeram emittendum inconsideratê deminuendi, quâ postulatur, ut clima dirigatur.

COMMISSIO PROMOTRIX:

1. **Uberto Crescenti**, Professore Emerito di Geologia Applicata, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara, già Magnifico Rettore e Presidente della Società Geologica Italiana.
2. **Giuliano Panza**, Professore di Sismologia, Università di Trieste, Accademico dei Lincei e dell'Accademia Nazionale delle Scienze, detta dei XL, Premio Internazionale 2018 dell'*American Geophysical Union*.
3. **Alberto Prestininzi**, Professore di Geologia Applicata, Università La Sapienza, Roma, già *Scientific Editor in Chief* della rivista internazionale IJEGE e Direttore del Centro di Ricerca Previsione e Controllo Rischi Geologici.
4. **Franco Prodi**, Professore di Fisica dell'Atmosfera, Università di Ferrara.
5. **Franco Battaglia**, Professore di Chimica Fisica, Università di Modena; Movimento Galileo 2001.
6. **Mario Giaccio**, Professore di Tecnologia ed Economia delle Fonti di Energia, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara, già Preside della Facoltà di Economia.
7. **Enrico Miccadei**, Professore di Geografia Fisica e Geomorfologia, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.

Nicola Scafetta, Professore di Fisica dell'Atmosfera e Oceanografia, Università Federico II, Napoli.

Subscriberunt:

1. **Antonino Zichichi**, Professore Emerito di Fisica, Università di Bologna, Fondatore e Presidente del Centro di Cultura Scientifica Ettore Majorana di Erice.
2. **Renato Angelo Ricci**, Professore Emerito di Fisica, Università di Padova, già Presidente della Società Italiana di Fisica e della Società Europea di Fisica; Movimento Galileo 2001.
3. **Aurelio Misiti**, Professore di Ingegneria Sanitaria-Ambientale, Univesità la Sapienza, Roma.
4. **Antonio Brambati**, Professore di Sedimentologia, Università di Trieste, Responsabile Progetto Paleoclima-mare del PNRA, già Presidente Commissione Nazionale di Oceanografia.
5. **Cesare Barbieri**, Professore Emerito di Astronomia, Università di Padova.
6. **Sergio Bartalucci**, Fisico, Presidente Associazione Scienziati e Tecnolgi per la Ricerca Italiana.
7. **Antonio Bianchini**, Professore di Astronomia, Università di Padova.
8. **Paolo Bonifazi**, già Direttore Istituto di Fisica dello Spazio Interplanetario, Istituto Nazionale Astrofisica.
9. **Francesca Bozzano**, Professore di Geologia Applicata, Università Sapienza di Roma, Direttore del Centro di Ricerca CERI.
10. **Marcello Buccolini**, Professore di Geomorfologia, Università Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
11. **Paolo Budetta**, Professore di Geologia Applicata, Università di Napoli.
12. **Monia Calista**, Ricercatore di Geologia Applicata, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
13. **Giovanni Carboni**, Professore di Fisica, Università Tor Vergata, Roma; Movimento Galileo 2001.
14. **Franco Casali**, Professore di Fisica, Università di Bologna e Accademia delle Scienze di Bologna.
15. **Giuliano Ceradelli**, Ingegnere e climatologo, ALDAI.
16. **Domenico Corradini**, Professore di Geologia Storica, Università di Modena.
17. **Fulvio Crisciani**, Professore di Fluidodinamica Geofisica, Università di Trieste e Istituto Scienze Marine, Cnr, Trieste.
18. **Carlo Esposito**, Professore di Telerilevamento, Università La Sapienza, Roma.
19. **Mario Floris**, Professore di Telerilevamento, Università di Padova.
20. **Gianni Fochi**, Chimico, Scuola Normale Superiore di Pisa; giornalista scientifico.
21. **Mario Gaeta**, Professore di Vulcanologia, Università La Sapienza, Roma.
22. **Giuseppe Gambolati**, Fellow della *American Geophysical Union*, Professore di Metodi Numerici, Università di Padova.
23. **Rinaldo Genevois**, Professore di Geologia Applicata, Università di Padova.
24. **Carlo Lombardi**, Professore di Impianti nucleari, Politecnico di Milano.
25. **Luigi Marino**, Geologo, Centro Ricerca Previsione e Controllo Rischi Geologici, Università La Sapienza, Roma.
26. **Salvatore Martino**, Professore di Microzonazione sismica, Università La Sapienza, Roma.
27. **Paolo Mazzanti**, Professore di Interferometria satellitare, Università La Sapienza, Roma.
28. **Adriano Mazzarella**, Professore di Meteorologia e Climatologia, Università di Napoli.
29. **Carlo Merli**, Professore di Tecnologie Ambientali, Università La Sapienza, Roma.

30. **Alberto Mirandola**, Professore di Energetica Applicata e Presidente Dottorato di Ricerca in Energetica, Università di Padova.
31. **Renzo Masetti**, Professore di Oceanografia, Università di Trieste, già Direttore del Dipartimento di Oceanografia, Istituto OGS, Trieste.
32. **Daniela Novembre**, Ricercatore in Georisorse Minerarie e Applicazioni Mineralogichepetrografiche, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
33. **Sergio Ortolani**, Professore di Astronomia e Astrofisica, Università di Padova.
34. **Antonio Pasculli**, Ricercatore di Geologia Applicata, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
35. **Ernesto Pedrocchi**, Professore Emerito di Energetica, Politecnico di Milano.
36. **Tommaso Piacentini**, Professore di Geografia Fisica e Geomorfologia, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
37. **Guido Possa**, Ingegnere nucleare, già Vice Ministro Miur.
38. **Mario Luigi Rainone**, Professore di Geologia Applicata, Università di Chieti-Pescara.
39. **Francesca Quercia**, Geologo, Dirigente di ricerca, Ispra.
40. **Giancarlo Ruocco**, Professore di Struttura della Materia, Università La Sapienza, Roma.
41. **Sergio Rusi**, Professore di Idrogeologia, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
42. **Massimo Salleolini**, Professore di Idrogeologia Applicata e Idrologia Ambientale, Università di Siena.
43. **Emanuele Scalcione**, Responsabile Servizio Agrometeorologico Regionale Alsia, Basilicata.
44. **Nicola Sciarra**, Professore di Geologia Applicata, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
45. **Leonello Serva**, Geologo, Direttore Servizi Geologici d'Italia; Movimento Galileo 2001.
46. **Luigi Stedile**, Geologo, Centro Ricerca Revisione e Controllo Rischi Geologici, Università La Sapienza, Roma.
47. **Giorgio Trenta**, Fisico e Medico, Presidente Emerito dell'Associazione Italiana di Radioprotezione Medica; Movimento Galileo 2001.
48. **Gianluca Valenzise**, Dirigente di Ricerca, Istituto Nazionale di Geofisica e Vulcanologia, Roma.
49. **Corrado Venturini**, Professore di Geologia Strutturale, Università di Bologna.
50. **Franco Zavatti**, Ricercatore di Astronomia, Università di Bologna.
51. **Achille Balduzzi**, Geologo, Agip-Eni.
52. **Claudio Borri**, Professore di Scienze delle Costruzioni, Università di Firenze, Coordinatore del Dottorato Internazionale in Ingegneria Civile.
53. **Pino Cippitelli**, Geologo Agip-Eni.
54. **Franco Di Cesare**, Dirigente, Agip-Eni.
55. **Serena Doria**, Ricercatore di Probabilità e Statistica Matematica, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
56. **Enzo Siviero**, Professore di Ponti, Università di Venezia, Rettore dell'Università e-Campus.
57. **Pietro Agostini**, Ingegnere, Associazione Scienziati e Tecnolgi per la Ricerca Italiana.
58. **Donato Barone**, Ingegnere.
59. **Roberto Bonucchi**, Insegnante.
60. **Gianfranco Brignoli**, Geologo.
61. **Alessandro Chiaudani**, Ph.D. agronomo, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
62. **Antonio Clemente**, Ricercatore di Urbanistica, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.

63. **Luigi Fressoia**, Architetto urbanista, Perugia.
64. **Sabino Gallo**, Ingegnere nucleare.
65. **Daniela Giannessi**, Primo Ricercatore, Ipcf-Cnr, Pisa.
66. **Roberto Grassi**, Ingegnere, Amministratore G&G, Roma.
67. **Alberto Lagi**, Ingegnere, Presidente di Società Ripristino Impianti Complessi Danneggiati.
68. **Luciano Lepori**, Ricercatore Ipcf-Cnr, Pisa.
69. **Roberto Madrigali**, Metereologo.
70. **Ludovica Manusardi**, Fisico nucleare e Giornalista scientifico, Ugis.
71. **Maria Massullo**, Tecnologa, Enea-Casaccia, Roma.
72. **Enrico Matteoli**, Primo Ricercatore, Ipcf-Cnr, Pisa.
73. **Gabriella Mincione**, Professore di Scienze e Tecniche di Medicina di Laboratorio, Università G. D'Annunzio, Chieti-Pescara.
74. **Massimo Pallotta**, Primo Tecnologo, Istituto Nazionale Fisica Nucleare.
75. **Enzo Pennetta**, Professore di Scienze naturali e divulgatore scientifico.
76. **Nunzia Radatti**, Chimico, Sogin.
77. **Vincenzo Romanello**, Ingegnere nucleare, Centro Ricerca, Rez, Repubblica Ceca.
78. **Alberto Rota**, Ingegnere, Ricercatore presso Cise e Enel.
79. **Massimo Sepielli**, Direttore di Ricerca, Enea, Roma.
80. **Ugo Spezia**, Ingegnere, Responsabile Sicurezza Industriale, Sogin; Movimento Galileo 2001.
81. **Emilio Stefani**, Professore di Patologia vegetale, Università di Modena.
82. **Umberto Tirelli**, Visiting Senior Scientist, Istituto Tumori d'Aviano; Movimento Galileo 2001.
83. **Roberto Vacca**, Ingegnere e scrittore scientifico.

HANC PETITIONEM CLIMATICAM

AB ITALIS CLIMATOLOGIS

CONTRA TORRENTEM SCRIPTAM

IN LATINUM CONVERTIT



LEO LATINUS

**MATTHAEUS SALVINI CAROLAM RACKETE
APPELLAT NOMINE ITALICO Q.E.
SBRUFFONCELLA.
QUID SENTIT HÔC VERBO?**



Scripsi Victorio Ciarrocchi d.4. m.Iul., a.2019

Nicolaus Victorio suo sal.pl.dic.
s.v.b.e.e.v.

Care Victori,

rogo te, ut mihi explices significationem et notationes et conotationes verbi sermonis tui patrii, quod est "SBRUFFONCELLA" (cfr appendix).

Valde cupio quam subtilissime scire, quale nomen Matthaeus Salvini imposuerit illi iuenculae legirupae. Estne hoc verbum iocosum? An est verbum increpatorium vulgare, immo obscaenum? Si quae iuvenca Italiana audit hoc verbum, quomodo se gerit? Num gravissime laesa iraque incensa in faciem viri laedentis insilit?


Explica mihi hoc cimelium thesauri verborum Italiani. Animo suspenso exspecto responsionem tuam. Vale quam optime. Ceterum ne nimium diffidas rebus futuris. Gretula illa puella Sueta prophetissa errat: Mundus non interibit propter carboneum dioxydatum. Perge itinera facere et autoraeda vehi et aeroplano volare. Crede mihi. Mox tibi mittam vocabula, quae spectant ad AEROPLANUM. Medullitus te salutatur. Nicolaus Leo Latinus.



Victorius Nicolao, eximio linguarum cultori, sal. plur. dicit.

Libenter vocem, mi Nicolae, quae est "SBRUFFONCELLA", explicare conabor. Est vox <deminuta et blande aliquid significans> (Italice: <è parola diminutiva e vezzeggiativa>), quae originem ducit a verbo temporali, quod est "sbruffare" (= liquorem qualemcumque ex ore aspergere). Quod quidem verbum, etsi non saepe usurpatum, tamen apud scriptores quosdam Italos iam pridem adhibitum invenitur. Hoc e verbo vox, quae est "sbruffone", nata est spectans ad hominem, qui se ipsum <magis esse putat, quam re vera laudandus sit>. Alafrius Panzini (1863-1939), eximius lexicographus, in 'Dictionario moderno vocum, quae aliis in dictionariis non inveniuntur' (apud Hoepli, Mediolani, a. 1950), s. v. "sbruffone", scripsit: «Vox proprie Neapolitana, significans hominem sui ostentatorem [It. 'spaccone']. (Addidit): "sbruffonata": gloriatio, inanis iactantia [It. 'vanteria, smargiassata, bravata]». Quare

«sbruffoncella» Matthaeus Salvini (e cuius opinionibus licet dissentire, sed is est fere unicus vir politicus Italus qui clare, immo clarissime loqui solet) eam mulierem appellavit minime scopo incensus, ut ipsam contumeliis adficeret, sed ut eandem benevole ludificaret, quoniam ea sese gloriata esset de re minime iactanda. Haec ad illud vocabulum Italicum, quod graviore offensione omnino caret. Si aliud dicunt alii homines politici, id pendet e politica competitione, quae apud Italos semper acris est ac mendax. (Obiter: quod ea puella Sueta erret, mihi persuasissimum fuit e primo die, quo eius stultissimas legi praevisiones). Optime valeas.



Scripsi Marco Cristini d.4. m.Iul., a.2019

Nicolaus Marco suo sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Care Marce, rogo te, ut mihi explices significationem et notationes et conotationes verbi sermonis tui patrii, quod est "SBRUFFONCELLA" (cfr appendix).

Valde cupio quam subtilissime scire, quale nomen Matthaeus Salvini

imposuerit illi iuenculae legirupae. Estne hoc verbum iocosum? An est verbum increpatorium vulgare, immo obscaenum? Si quae iuvenca Italiana audit hoc verbum, quomodo se gerit? Num gravissime laesa iraque incensa in faciem viri laedentis insilit?

Explica mihi hoc cimelium thesauri verborum Italiani. Animo suspenso exspecto responsionem tuam. Vale quam optime. Ceterum ne nimium diffidas rebus futuris. Gretula illa puella Sueta prophetissa errat: Mundus non interibit propter carboneum dioxydatum. Perge itinera facere et autoraeda vehi et aeroplano volare. Crede mihi. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

Marcus Nicolao suo s.p.d.

Care Nicolae,

verbum “sbruffone” simile est vocabulis “spaccone, gradasso” et significat hominem mendacem, gloriosum, superbum. Haec est vox “sbruffone” in thesauro verborum *Treccani*: “Persona che si dà delle arie, che parla e agisce ostentando capacità e qualità che in realtà non possiede, o esagera nel vantarsi di imprese che in realtà non ha compiuto e non sarebbe in grado di compiere”. Celeberrimus miles gloriosus Plauti iure Italice “soldato sbruffone” vocari potest. Vocula postpositiva *-ello / -ella* adhibetur ad significandum aliquid parvum (*fiumicello* = parvum flumen; *torello* = iuvenis torus; *arboscello* = parva arbor) vel, si ad homines mulieresve spectat, aliquem statura brevem aut iuvenem et imperitum. Non est contumelia obscena, sed profecto si animum puellae tibi concilare cupis, eam “sbruffoncella” appellare minime oportet... Puto administrum Salvini declaravisse navarcham illam et mendacem, gloriosam superbamque et iuvenem imperitamque esse.

Cum Matthaeo Salvini saepe non consentio, sed quod nuper in insula Lopadusa factum est et iuri gentium et moribus populorum Hesperiorum repugnat. Primum navis in aquas Italiae ingressa est invito regimine, dein vi in portum Lopadusae more piratico irrupit et lintrem vigilum paene demersit. Navarcha dicit se haec omnia fecisse ut saluti esset migrantibus, ipsa autem in capitis discrimen et nautas suos et vigiles et migrantes adduxit. Ceterum, si Italorum leges et administros contemnit, quare naufragos ad oras Italicas transvexit?

Cum de his cogitarem, mihi venit in mentem 1 *Cor* 13.4-5: *Caritas patiens est, benigna est caritas, non aemulatur, non agit superbe, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum.* Si sanctus Paulus haud perperam locutus est, caritatem in rebus a Carola Rackete gestis nusquam invenio. Cura, ut optime valeas.



CAROLA SALICARIA *Carola Rackete* DE ETYMO NOMINIS CAROLAE GENTILICII

Carolae *Rackete* nauarchae illius litigiosae nomen gentilicium minimê spectat ad telum missile aut bellicum aut lusorium, quod theodiscê *Rakete*, Latinê +rucheta appellatur. Reverâ hoc nomen est slavicae originis et valet **salicem** arborem (quae polonicê appellatur *rokyta*)¹. Tali nomine prius homines appellabantur, qui aut prope salices habitabant aut ex ramis salicum fabricabant corbes saligneos.



¹cfr [http://www.berlinerliteraturkritik.de/detailseite/artikel/guten-appetit.html?type=1&cHash=e55e 748 536cf99d04b327ea24f51b098](http://www.berlinerliteraturkritik.de/detailseite/artikel/guten-appetit.html?type=1&cHash=e55e748536cf99d04b327ea24f51b098): Die „FAZ“ bezeichnet **Jürgen Udolphs** Buch „**Professor Udolphs Buch der Namen. Woher sie kommen.**“ als eine „anregende Mischung aus Geschichte und Sprachwissenschaft“. Der Professor für Namensforschung am Institut für Slawistik der Universität Leipzig schreibt primär über deutsche Familiennamen. Nach Herrn Udolph haben 30 Prozent der deutschen Familiennamen einen slavischen Ursprung: Beispielsweise führe der **Fotograf Jim Raket**e seinen Namen auf hugenottische Vorfahren in Ostpreußen zurück. Sein Name käme von „raquette“, dem Schläger. Der Autor wendet dagegen ein, dass „**Rakete**“ **auf das polnische „rokyta“, Weide, zurückzuführen ist.** Obwohl es dieses Buch, laut „FAZ“ nicht nötig hat, sich mit Namen berühmten Männern und schönen Frauen zu beschäftigen, ist es, wenn man sich für Namen interessiert, „eine Quelle nie versiegenden Vergnügens.“ –

cfr <https://www.janecke.name/angaben-zu-personen/familiennamen/r>

Einige Familien-Namen mit dem Anfangsbuchstaben „R“ und deren Bedeutung „Rakete // Rokita (nicht vom Flugkörper abzuleiten. siehe ital. rochetta, die Spindel). Polnisches Wort eingedeutscht und missverstanden. Kommt von **Rokyta = die Weide (Baum).** NT (i.e. Namensträger) **wohnte an den Weiden oder verarbeitete Weidenzweige (Körbe).**“

DE HYPNOTISMO

PARS PRIMA

Habeo amicum, nomine Vincentius Nucarius, qui aliquando oblectamenti causa operam dedit hypnotismo. Ille in domo sua me recepit. Dum prandebamus, quædam hypnoticæ artis fundamenta et usus descripsit.

Ut rem rite explicaret, statum hypnoticum somno comparavit. Somnus, illo docente, habet gradus. Homines aliquando levius dormiunt, aliquando gravius. Qui leviter dormiunt, facile excitantur a somno; qui vero graviter, haud facile. Præterea naturale est hominem, dum dormiat, per totam noctem, intra quædam temporis intervalla, transire e somno levi in gravem, aut e gravi in levem. Sed somnus gravis ei diligenti considerationi fuit. Homines quidam, quod est mirandum, dum graviter dormiunt, intra ipsum somni tempus surgunt et ambulant. Aliquando loquuntur secum, et quidem interroganti respondent, aut oboediunt cuidam forte imperanti. Finito tamen somno obliviscuntur omnium, quæ dormientes egerunt. Licet ex verbo Graeco *hypnos*, quod idem valeat atque sopor, hypnotismus oriatur, hypnosis tamen non est merus somnus inductus, sed status somni similis. Etiam cerebralibus undis, ut aiunt periti, hypnosis et somnus inter se differunt. Sed ex his quæ dicta sunt, primæ conclusiones aperiuntur: 1. status hypnoticus admittit gradus; 2. homo sub inducta hypnosi intrat in statum subscientem; 3. suadente hypnota, homo illas res trahit ad mentem, eas loquitur easque agit, quas forte non traheret, non ageret neque loqueretur, si sui esset compos. Verba quædam explicentur oportet:

Hypnosis est quidam mentis status, suasionem inductus, sub quo, minutâ vigiliâ, homo obnoxius fit monitionibus hypnotæ.

Hypnotismus dicuntur omnia artificia, per quæ status hypnosis inducitur.

Hypnota dicitur medicus aut psychologus, qui hypnosim inducit; **hypnotissa** autem appellabitur, si de muliere agatur.

PARS ALTERA

Amicus noster, Vincentius Nucarius, ultra processit in explicationibus suis. Nullius libri tamen fecit mentionem. Usus et experientiam

annorum narravit. Ipse enim, ut supra dictum est, per multum temporis hypnotismi artem exercuit et quidem delectamenti causa. Hypnoticus status, ad naturam quod attinet, non est somnus, sed somni similis. De hoc satis. Quid vero dicendum est de homine, qui hypnotismo se subicit? Num quilibet homo potest incidere in hypnoticum statum? Non quilibet homo, sed ille tantum qui vult hypnotizari, poterit hypnotizari. Hypnosis, ait Vincentius, non potest induci sine voluntate. Qua deficiente etiam accuratissima hypnotismi ars nihil proficiet. Docilitas et oboedientia tam necessariae sunt, ut quanto quis dociliorem se præbeat hypnotæ, eo profundius ingrediatur in hypnoticum statum. Mirum ergo non erit, si in quo hominum coetu, præcipue in quibusdam religiosis conventibus, conspicias alios homines quam citissime incidere in hypnoticum statum; alios vero post aliquantulum temporis; alios tamen minime incidere. Hoc fit, quoniam non habent omnes eandem docilitatem et consensum. Quidam immo resistunt. Praeterea quanto magis quis hypnoticis se subicit experimentis, eo facilius attingit statum hypnoticum profundum. Naturalis proclivitas, quam quidam habeant ad hypnosim, potest exercitationibus augeri.

Ut sententiam suam exemplo confirmaret, Vincentius meminit mulieris cuiusdam, quæ sessiunculas, quibus ipse præerat, frequentabat. Ille animadvertit, quam facile mulier illa soleret incidere in statum hypnoticum. Quam ob rem aliquando mulierem secum ferebat illuc, ubi ars sua erat demonstranda. Nam hypnotismi efficacia conspicue apparet in iis, qui maximam habent docilitatem et liberis cogitationibus solent evolare.

PARS TERTIA

In prima parte Vincentius Nucarius breviter de status hypnotici natura disputavit. In altera vero sermo fuit de illis, qui se subiciunt hypnotismo. Modo in hac tertia sermonis parte, ad concludendum argumentum rei, ille aperit artes, quibus hypnosis inducitur. Antequam tamen de artibus ipsis fiat sermo. Hoc pro certo sciatur, quod non sunt omnes hypnotæ eiusdem peritiæ. Quidam sic profitentur hypnotismum, ut non unum tantum, sed plures simul homines hypnotizare queant. Ad tantam suasionis vim consequendam frequentibus attentisque exercitationibus opus est. Ita nascitur magnus

hypnota. Sed quo pacto status hypnoticus inducitur? Videamus ergo. Ut mens defatigetur et statui hypnotico se tradat, repetitio est necessaria. Repetitio, inquit, aut sonorum, aut imaginum, aut corporalium contactuum. Itaque cum quis hypnotizatur, hypnotizatur aut per auditum, aut per visionem, aut per tactum. Per auditum, quia eadem verba iterum atque iterum repetita mentem ita fatigant, ut hypnotæ suasionibus acquiescat. Verborum efficaciam aliquantulum augment: longi et iterati clamores; musica sive blanda sive clamosa; usus sententiarum fastidioso tono prolatarum. Homo sic hypnotizatus, omnibus aliis posthabitis rebus, solam hypnotæ vocem attendit.

Ultra procedamus. Illud cinematis nomisma aut horologium, quod huc atque illuc agitur, non est mera fictio: habet suam efficaciam. Nam per fastidiosum spectaculum mens sane torpescit. Sed præter nomismata, in præsentia etiam figuræ ita componuntur et delineantur, ut aptæ fiant ad statum hypnoticum inducendum. Itaque sensus videndi fit via ad hypnosim.

Alii tandem hypnotæ, dum certis corporis partibus certisque compressionibus hypnotizandum hominem palpant et fricant, huius corpus et mens relaxantur. Sic status hypnoticus per contactum stabilitur. Propter scientiam et experientiam suam Vincentius haud semel invitatus est, ut ministros quosdam religiosos doceret hypnotismum. Hi autem artem hypnoticam considerabant viam ad cogendam pecuniam. Vincentius tamen illorum invitationes recusavit. Non decet neque oportet, ut arbitratur, male abuti hypnotismo ad religionem improbe adhibendam aut inhonestam quorundam cupiditatem saturandam.

Sed bona hypnotismi ars est bona via, qua bonum consilium ad bonum effectum deducatur.

Hypnotismus, ut tot annorum usus demonstrat, evidentissimam habet medicam vim non modo ad curandos, verum etiam ad sanandos non paucos mentis et corporis morbos.

Dubium enim non est, quanti ponderis sit illud, quod subconscientiam appellamus.

Scrpsit Urbanus Ferrarius
(Urano dos Santos Ferreira)
Brasiliapolitanus

**QUALIS SIT DISCIPULUS *ABSENTATOR
SIVE *ABSENTISTA,
QUALIS SIT DISCIPULA *ABSENTATRIX
SIVE *ABSENTISTRIA**

***ABSENTĀTOR sive *ABSENTISTA *CLĪMATICUS**

absentāre »abwesend machen, fortsenden, entfernen; abwesend sein«



Greta Thunberg est
Sancta *Absentātrīx *Clīmatica,

Klimaschwänzen –

***absentātiō *climatica, i.e. (ā scholā) *absentāre ad clīma
prōtegendum**

Schulstreik –

***operistitium scholāre**

Ad



De Abrogatione Relegationis Ovidii

Potius sero, quam numquam: anno duodemillesimo post mortem, Ovidii poetae exsilium abrogatum est, a Romae urbis Curiis. In opere suo, c.t. “Tristia”, Ovidius scripsit: “Cum subit illius tristissima noctis imago,/ quae mihi supremum tempus in urbe fuit,/ cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,/ labitur ex oculis nunc quoque gutta meis” (I,3). Roma aeterna relinquenda fuit iussu Caesaris. Poena fuit abesse ab urbe illa, “quae de septem totum circumspicit orbem montibus, imperii Roma deumque locus” (I,5). Atque: “Perdiderint... me duo crimina, carmen et error” (II,207). Quid carmen est? Opus eius est “Ars Amatoria”, quod eum auctorem et doctorem obsceni adulterii accusat. Sed, Ovidius addit: “alterius facti culpa silenda mihi” (II,208). Et hoc secretum occultum manet semper. Fortasse, Ovidius testis fuit casus cuiusdam, quam ob rem interdictus est. In epistola extrema, poeta ipse scripsit de magna desperatione vitae suae, ut sequitur: “Omnia perdidimus, tantummodo vita relicta est,/ praebeat ut sensum materiamque mali./ Quid iuvat extinctos ferrum demittere in artus?/ Non habet in nobis iam nova plaga locum” (“Epistolae ex Ponto”, Liber Quartus, 49 et seq.). Ovidius haec verba in memoriam piam suam scripsit, quae in lapide sepulchri ipsius voluit insculperentur: “Hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum/ Ingenio perii, Naso poeta, meo./ At tibi qui transis, ne sit grave quisquis amasti/ Dicere: Nasonis molliter ossa cubent” (“Tristia” III, 73-76).

Nemo melius comprehendere potest exsilii malum et patriae ingens desiderium, quam populus Iudaeorum, de quo Biblia Sacra dicit: “Si oblitus fuero tui Hierusalem, in oblivione sit dextera mea” (Vulgata, Psalmus 136/137, 5).

PS Maximas gratias ago amico caro meo et magistro Pino Blasone pro auxilio in lingua Latina.

Fons: <http://www.telegraph.co.uk/news/2017/12/15/better-late-never-rome-revokes-exile-poet-ovid-2000-years-death/>


scripsit

D a v i d G o w i n

Hierosolymitanus

FABELLA GRIMMIANA

96. De tribus aviculis.



Nescio an plus milibus annis ante factum sit, ut in hac terrâ essent complures rêges minores, quorum unus habitavit in Monte Limitaneo¹, qui perlibenter venabatur. Aliquando cum rex unâ cum venatoribus suis de castello equitaret, sub monte tres puellae pascebant vaccas suas, et cum conspicerent regem multosque homines eum comitantes, puella maxima natu ceteris acclamavit regem manu indicans: »Heus

¹ **Mōns Līmitāneus** i.q. theodiscê *Köterberg* sive originaliter *Küteberg* (= *Grenzberg*). Situs est in Rhenano-Vestfaliâ, regione *Lippe*, prope oppida *Höxter* et *Lügde*. cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Köterberg_\(Lügde\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Köterberg_(Lügde)): „...Geschichte. Der heutige Ort **Köterberg** wird erstmals 1268 unter dem Namen *Wezzelingveld* erwähnt. Der spätere Name **Köterberg** erscheint 1430 in einer Urkunde anlässlich einer **Grenzziehung als Kötterberg, also Küteberg = Grenzberg**. Die besondere topografische Form des Köterberges machte die herrschaftlichen Anrainer Glauben, dass es in ihm Erze zu finden gebe. Es wurden deshalb Mutungen vorgenommen, die von Bergleuten durchgeführt wurden, aber wegen der geologischen Beschaffenheit (Keuper) erfolglos verliefen. 1536 schlossen die Grafschaft Lippe, das Fürstbistum Paderborn und das Herzogtum Braunschweig-Lüneburg einen **Grenzvertrag**, in dem die noch heute gültigen Grenzen gezogen wurden. Grund dieser Vereinbarung war die anhaltende Hoffnung auf Erzvorkommen.“

tu! Heus tu!¹ Illi nisi nubere potuero, nôlam ullum alium«. Tum alterâ in montis parte versans manu virum indicans a dextris rēgis euntem, »Heus tu! Heus tu! Illi nisi nubere potuero, nôlam ullum alium«. Tum minima natu vocavit manu virum a sinistris rēgis euntem indicans: »Heus tu! Heus tu! Illi nisi nubere potuero, nôlam ullum alium«. Hi autem fuerunt ministri rēgis. His omnibus auditis rex cum venatus domum venisset, tres puellas ad se venire iussit et rogavit, quidnam heri in monte dixissent. Hoc noluerunt dicere, sed rex ex maximâ natu quaesivit, num sibi nubere vellet? Tum illa affirmavit, et ambo ministri in matrimonium duxerunt illius sorores, nam omnes tres fuerunt facie formosâ, praesertim regina, quae capillis fuit linaceis².

At reginae sorores nullos pepererunt infantulos; cum autem rēgi esset iter faciendum, is iussit sorores ad reginam venire, ut eius animum exhilararent, nam regina modo erat gravida. Eadem peperit puerulum, qui stellam rubram secum attulit in lucem editus. Tum sorores una alteri dixerunt se velle puerum bellulum in aquam deicere. Cum eundem deiecissent (ni fallor, in fluvium Visurgim³), avicula volavit in altum cantans:

Ad mortem paratus,
nunc vitâ donatus
alba lilia accipies:
Fortis puelle, ubi es?⁴

His verbis auditis sorores territae aufugerunt. Rēgi autem domum venienti dixerunt a reginâ partum esse canem. Tum rex: »Bene factum quod fecit Deus«.

At prope aquam habitavit piscator, qui puerulum inde expiscatus est adhuc vivum; cum autem uxor eius nullos haberet liberos, puerulum

¹ **Heus tu!** orig. *Helo!*

² **lināceus**, -a, -um cfr orig. *de hadde Hare ase Flass*. quae capillis fuit linaceis. L. Glaser, Taschenwörterbuch für Botanik etc., Leipzig 1885, p.27: "linaceus leinartig, linum Lein, liniifolius leinkrautblättrig (Linaria)".

³ **Visurgis**, -is m. theod. *Weser*.

⁴ orig. „*Tom Daude bereit,/ Auf weiter'n Bescheid/ Tom Lilienstrus:/ Wacker Junge, bist du's?*“. – cfr explicatio fratrum Grimmianorum: [https://de.wikisource.org/wiki/De_drei_V%C3%BCgelkens_\(1815\)](https://de.wikisource.org/wiki/De_drei_V%C3%BCgelkens_(1815)): „...die Worte im Vers^[2] „zum Lilienstraus“ sie wollen sagen, das Kind war zum Tode bereit (d.i. todt) bis auf weitem Bescheid (Gottes) aber ist es gerettet; die Lilie lebt noch, denn die Lilie ist auch der unsterbliche Geist (s. das Märchen von den drei Brüdern I, 9. S. 28. wo statt der Lilie die ihr gleichstehende weiße Studentenblume: Narcisse, verwandelter Jüngling, vorkommt; und das Volkslied im Wunderhorn, wo aus dem Grab darin Vater, Mutter und Kind liegen, drei Lilien aufspriessen).“

educaverunt. Anno transacto rex iterum iter fecit, et regina iterum puerulum peperit, quem sorores fallaces item correptum in aquam deiecerunt. Iterum avicula in altum volavit cantans:

Ad mortem paratus,
nunc vitâ donatus
alba lilia accipies:
Fortis puella, ubi es?

Cum ambae hoc audirent, territae aufugerunt. Cum rex domum revertisset, illae ei dixerunt a reginâ partum esse canem. Tum rex: »Bene factum« inquit, »quod fecit Deus«.

At prope aquam habitabat piscator, qui puerum expiscatus adhuc vivum et quia eius uxor nullos habebat liberos, puerum educaverunt. Anno transacto rex denuo iter fecit, regina denuo puerum peperit, quem duae sorores fallaces sumptum etiam deiecerunt in aquam, et denuo avicula in altum volavit cantans:

Ad mortem paratus,
nunc vitâ donatus
alba lilia accipies:
Fortis puella, ubi es?

Cum rex revertisset, sorores ei dixerunt reginam denuo peperisse canem, et ille denuo: »Bene factum est« inquit, »quod fecit Deus«. Piscator autem hunc etiam puerum ex aquâ traxit eumque educavit.

Tum rex denuo iter fecit, et regina peperit puellulam, quam sorores fallaces etiam in aquam deiecerunt. Tum avicula denuo in altum volavit cantans:

Ad mortem parata,
nunc vitâ donata
alba lilia accipies:
Fortis puella, ubi es?

Cum autem rex domum revertisset, ei dixerunt reginam peperisse cattam. Tum rex irâ incensus uxorem in carcerem iussit conicere, in quo sedit per multos annos.

Interim liberi cum adolevissent, filius maximus natu aliquando cum aliis pueris foras exiturus fuit piscatum. At ceteri cum eodem ire nolentes dixerunt: »Tu, alumne, abi viâ propriâ!« Tum îdem puer perquam contristatus ex piscatore vetulo quaesivit, num hoc esset verum? Tum ille puero narravit eum aliquando a se piscante ex aquâ esse tractum. Tum puer dixit se velle abire, ut quaereret patrem suum. Piscator quidem puerum rogavit, ut maneret, sed is non sivit retineri, usque dum piscator tandem assentiretur. Tum puer profectus per complures dies migravit, usque dum tandem veniret ad ingentem aquam, ante quam anicula stabat piscans. Tum puer: »Salva sis« inquit, »matercula«. »Magnas gratias ago«. - »Nonne diu tibi piscandum est, usque dum pisces capias?« »Tibi autem« inquit, »nonne diu quaerendum est, usque dum invenias patrem tuum? Quonam modo aquam transibis?« - »Hoc sciat Deus«. - Tum anicula puerum subbaiulatum per aquam transportavit, ille quaerebat, sed per longum tempus patrem non invênit. Anno transacto alter puer profectus est, ut patrem quaereret. Advênit autem ad aquam, ubi haud aliter factum est de eo ac de illo.

Nunc nemo domi remanserat nisi filia, quae vehementer lamentans desiderio fratrum affecta denique piscatorem rogavit, ut se proficisci sineret, quia ipsa vellet quaerere fratres. Tum ea quoque veniens ad aquam magnam dixit aniculae: »Salva sis, matercula!« - »Magnas gratias ago«. »Deus te adiuvet piscantem«. - Anicula cum hoc audivisset, perquam comis facta puellam per aquam transportavit, ei virgam dedit, dixit: »Nunc perge, mea filia, hac viâ ire, et si incideris in magnum canem nigrum, is tibi praetereundus erit tacenti et petulanti, neque ridenti neque illum aspectanti. Deinde advenies magnum castellum apertum. In eius limine oportebit sinas delabi virgam e manu et rectâ viâ per castellum ire et in alterâ parte ex eo exire. Ibidem est vetus puteus, ex quo crevit arbor vetusta, ex quâ pendet avis caveae inclusa, quam recipe. Deinde hyalum aquae hauri ex puteo et cum ambabus rebus eâdem viâ redi; ex limine virgam illam denuo manu tecum auferas et si deinde denuo incideris in canem

illum, cave, ne alapando a facie illius aberres, et deinde ad me revertere!« Tum omnia invênit esse talia, qualia anicula dixerat, et revertens invênit ambos fratres, qui dimidium ferê mundum permigrantes unus alterum quaesiverant. Tum tres omnes unâ ierunt usque ad canem nigrum, quem puella alapata est: tum canis factus est princeps pulcher, qui cum illis iit usque ad aquam. Ibidem autem adhuc stabat anicula, quae valdê gavisa est, quod omnes unâ iterum adfuerunt, et omnes per aquam transportavit, deinde ipsa abiit, nam nunc erat redempta. Ceterae omnes ierunt ad vetulum piscatorem et laeti fuerunt, quod unus alterum reppererant; avem autem ex pariete pependerit.

Filius alter autem cum non diu posset, quin domi remaneret, arcu sumpto venatus est. Cum esset fatigatus, tibiis sumptis cantilenam cecinit. Rex autem venans cantilenam audiens et illuc iit, et in puerum incidens: »Quis« inquit, »tibi permisit, ut ibi venareris?« - »Oh, nemo«. »Cuius es?« »Piscatoris filius sum«. »Is non habet liberos«. »Nisi credis, veni mecum«. Hôc facto piscatorem rogavit, ut omnia narraret; avicula autem e pariete pendens coepit cantare:

Mamma maesto est animulo,
nam inclusa est carcerulo.
o rex magne, qui es gente nobili,
hîc boni sunt infantuli.
At sorores duae fallacissimê
eos vexavere crudelissimê,
qui submersi, paene desperati
a piscatore sunt servati.¹

Tum omnes territi sunt et rex avem, piscatorem, trinosque liberos secum duxit ad castellum, iussit carcerem aperire, ut uxorem ex eodem abduxit. At illa perquam aegrota miseraque erat facta. Deinde filia illi dedit aquam ex puteo illo haustam, tum corroboravit et reconvaluit. At sorores ambae fallaces sunt combustae, filia nupsit principi.

¹ orig. „de Mõhme (Mutter) sitt allein,/ wol in dat Kerkerlein./o Kûnig, edeles Blod,/dat sind dine Kinner god./ De falsken Sûstern beide/ de dehen de Kinnerkes Leide, wol in des Waters Grund, wo se de Fisker fund.“

HANC FABELLAM GRIMMIANAM

C.T. *Die drei Vügelkens*

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

* *
*

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM PRIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



HEROINAE LITIGIOSAE

Die Iovis, 01. m. Augusti a. 2019

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

